

bantur Viennae die 16. May Anno Milesimo Septingentesimo Duodecimo, Regnorum Nostrorum Romani primo, Hispanici nono, Hungarici vero et Bohemici Secundo.

Carolus m. p.

Joan. Frid. B. a Seilern m. p.

Ad mandatum Sacrae Caesareo-Regiae Majestatis proprium

Joannes Georgius Buol m. p.

A tergo :

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregijs et Nobilibus, Prudentibus item ac circumspcctis N. N. Universis Statibus ac Ordinibus Dalmatiae, Croatiae & Slavoniae Regnorum nostrorum Fidelibus Nobis dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congregationis A. 1712. N. 25.

CCXXXV.

Anno 1714. die 22. Junii. Viennae.

Carolus III. Rex salis turcici usum in Regno Croatiae prohibet, maritimi vero concedit.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij item ac Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Ex demissa Camerae nostrae Aulicae repraesentatione benigne informamur, Quod tametsi intuitu iteratorum praecedentium, novissime autem benigni nostri, sub dato in Civitate nostra Vienna Austriae, die Vigesima Secunda Mensis Aprilis Anni proxime praeteriti Millesimi Septingentesimi decimi Tertij emanati, Fidelitatibusque Vestris sonantis Mandati, inductio Salis Turcici, potiori in parte cessare videatur, e contra